



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Sermo XX. De cruce quotidie tollenda, in religione assumpta.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

contentari, & à nemine honorari cupiūt nec laudari: Deus enim erit merces eorum. Nam rarò mihi talis occurrit, qui de proprio damno non doluit, vel de proximo suo non est conquestus. Veruntamen, si est alicubi pax in hac vita speranda, tunc eam verus humilis habet, qui iniurias patienter sustinet & tacet. Qui vult ergo habere pacem & bonam conscientiam, relinquat pro amore Dei voluntatem suam, & discat patienter ferre iniuriam & hominum despectionem. Sic enim Christus fecit, portando pro nobis ignominiosam crucem, & obediendo Patri vsque ad mortem.

PARS TERTIA
SERMONVM
 AD NOVITIOS.

SERMO XX.

De cruce quotidie tollenda, in religione assumptâ.

I.  *I*HI autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Dilecti fratres, beatus Paulus, caelestium secretorum contemplator eximius, ostendit nobis in prædictis verbis sanctæ crucis, rectam viam bene viuendi, optimam doctrinam aduerſa patiendi, firmissimam scalam ascendendi ad calum, per inuictissimum sanctæ crucis signum. Hæc enim ducit amatores suos in regionem æternæ lucis, æternæ pacis, & æternæ beatitudinis; quam mundus dare non potest, nec diabolus auferre. Horret humana fragilitas pati paupertatem, abiectiōnem, vilitatem, esuriem, laborem, dolorem, angustiam, derisionem, quæ sæpè contingunt, & hominem gravant & conturbant. Sed hæc omnia simul iuncta, à Deo nobis dispensatiuè transmissa, salutarem fabricant crucem per multiplicem pœnam; & veris cruciferis, crucem suam tollentibus, aperiunt cælestis regni portam: certantibus preparant vitæ palmam, & vincentibus dant æternæ gloriæ coronam.

Gal. 6.

2. O verè beata crux Christi, quæ regem cælorum portare meruisti, & toti mundo gaudium salutis attulisti. Per te dæmones fugantur, infirmi curantur, pauidi confortantur, vitiosi mudantur.

pigri excitantur, superbi humiliantur, duri compunguntur, & deuoti fletibus irrigantur. Beati, qui passionem Christi quotidie recolunt, & crucem suam post Christum baiulare concupiscunt. Habent nunc boni & religiosi fratres, sub obedientia stantes, in quotidiana afflictione corporis, & in resignatione propria voluntatis, crucem foris asperam & amaram; sed intus dulcedine plenam: propter spem aeternae salutis & diuinæ consolationis affluentiam, tribulatis corde promissam. Quam si continuè nō sentiunt, aut tardius influere percipiunt, longanimiter tamen expectare debent, & diuinæ voluntati se resignare. Nam ipse melius nouit tempus miserendi, & modum tribulatis subueniendi: sicut medicus artem curandi, & magister peritiam regendi, & horam legendi. Habent interni baiulatores crucis, magnā confidentiam & gloriādi causam in cruce Iesu Christi. Quia nō de suis meritis & operibus confidunt, & saluari præsumunt: sed de misericordia Dei, & meritis Iesu Christi pro peccatis nostris crucifixi, in quē fideliter credunt, & corde diligunt: quem ore confitentur: laudant, prædicant, honorant & benedicunt.

Cruce suos
probat
Deus.
Cruce monachorum
quæ.

3. Solet Deus familiares amicos suos per crucē sanctam probare, vtrum verè an fidè eum querant & ament, & si mandata eius perfectè custodiant. Præcipuè tamen probantur per tolerantiam iniuriarum, & subtractionem consolationum internarum, per mortem amicorum, & damna rerum; per dolores capitis, & laciones membrorum; per abstinentiam ciborum, & asperitatem vestium: per duritiam lectuli, & frigora pedum; per longas vigiliis noctis, & diurnos labores: per oris silentium, & correptiones præsentium: per vermes mordentes, & linguas detrahentes. Inter hæc tamen consolantur per deuotam meditationem dominicæ passionis, sicut multis deuotis in secreto cōpertum est. Nempe istorum est gustare absconditum mel de petra, oleumque misericordiæ stillans de benedicto ligno sanctæ crucis; cuius sapor optimus, odor suauissimus, tactus, sanissimus, fructus felicissimus. O verè dignissimum & pretiosissimum lignum vitæ, in medio Ecclesiæ plantatum pro medicamine animæ! O Iesu Nazarene crucifixe; tu peccatorum vincula soluis, sanctorum animas liberas, superborum colla humilias, prauorum potentiam cōteris, fideles confortas, incredulos fugas, pios eruis, duos flagellas, aduersarios deprimis, elisos erigis, oppressos eripis, nocentes percutis, innocentes defendis, veraces diligis; mendaces odis, carnales despicias, spirituales respicias, ad te veniētes suscipis, ad te fugientes abscondis. Te inuocantes exaudis, te visitantes lætificas, te quærentes adiuuas, ad te clamantes confortas. Te honorantes honoras, te laudantes laudas, te amantes amas, te adorantes glorificas,

zificas, te benedicentes benedicis, te exaltantes exaltas. Te respicientes respicis, te osculantes oscularis, te amplectentes amplecteris, te sequentes ad cælum perducis.

4. Sed vā amatoribus mundi, qui vestigia Christi non attendunt, nec per viam sanctæ crucis ambulant: sed ad sua desideria complenda, aurum & argentum cōgregant, quæ secum ferre nullatenus possunt. Vā superbis & magnis in oculis suis, qui humilitatem deuotorum spernunt, simplicitatem derident, paupertatem miseriam vocant, obedientiam paruipendunt, patientiam à se repellunt, castitatem malè custodiunt, & crucifixo contrariè viuunt. Vā delicatis & curiosis, qui carnem suam nimis fouent & foris vestibibus ornant, & animam suam negligunt, & peccatis maculant. Vā auaris & ambitiosis, qui pro terrenis bonis & honoribus multum laborant, & sæpè litigant; & pro cælestibus bonis & æternis gaudijs parum agere & pati possunt. Ideo terrena frequenter subitò perdant, & cælestia non acquirunt. Nemo enim potest hîc gaudere cum sæculo, & ibi regnare cum Christo pro nobis crucifixo. *Non est seruus maior domino suo, nec discipulus melior magistro suo; quem oportebat pati crucem, & ita intrare in gloriam suam.* Et certè post breuissimam vitæ huius gaudia sequuntur æterna lamenta. Et tunc duriter cruciabuntur in igne & sulphure, qui modò edunt lautè & abundè, & bibunt vinum cum risu & dulcedine. *Nisi enim (ait Dominus) pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.*

Ioan. 15.
Luca 6.
Luca 24.

Luca 15.

Isai. 40.

5. Sunt homines mortales, qui suam fragilitatem non considerant: nec vilitatem luti, vnde facti sunt, cogitant: sed de nobilitate generis sui gloriantur; de diuitibus parentibus intumescunt; de scientia & arte sua inflantur; de fortitudine & pulchritudine præsumunt; de regimine & prælatura exultant; de ornatis & varijs vestibibus se eleuant; de notitia & fama nominis sui lætantur; de visitatione amicorum consolantur; de priuatione sui honoris tristantur; de aliorum felicitate & promotione sibi contrariorum torquentur. Sed heu, hæc omnia diligenter inspecta & veraciter pensata, vana sunt, nec aliqua reputatione digna: quia subitò casura, & in nihilum reditura. *Omnis quippe caro fœnum, & omnis status mundi tanquam flos agri cadit, arefcit & putrescit, ac si nunquam hic ortus fuisset.*

6. Sunt & alij multi vanis ludis intēti, crucis Christi signo cōtrarij, & à sanctorum Societate moribus & actibus valde remoti. Qui quasi insani gaudent in varijs mundi spectaculis, in psalterijs & citharis, in tubis & organis; currunt & saltant pedibus, plaudunt manibus, cantant vocibus, rident dentibus, & præ lætitia cordis, vix se capiunt in gestibus corporis, quia summum

bonum suum constituunt in ludis & gaudijs presentibus. Quod si durabile & Deo acceptabile esset, multum desiderabile & laudabile foret. Sed heu, quàm maximè falluntur homines, tam reges, quàm principes populi, lætantes in vanitatibus istius sæculi. Nam vanitas omnis homo viuens, tanquam umbra fugiens, & ros manè pertransiens. O quàm longè sunt isti à summo bono, à dulcedine Dei, à melodijs Angelorum, à semitis iustorum, à sanctitate religioforum, & à spiritali gaudio deuotorum. Veniet citò mors super eos, antequam sciant: qui modò lætantur, quasi securi essent; & cessabit omnis ludus & cantus, in domibus eorum & plateis. Et gaudebunt pauperes, infirmi, & huic mundo despecti, cum omnibus veris cruciferis amatoribus Christi; qui carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs in hoc mundo, ne cum impijs damnentur in iudicio futuro.

Psalm. 31.

Corrupti monachi descriptio.

Crucē ferre quid.

7. Væ etiam vagis & dissolutis monachis, solo nomine & habitu religiosi, qui crucem suam cum murmure portant, & inuitè obediunt: cellam malè custodiunt, silentium leuiter frangunt, labores fugiunt, otia diligunt, orationes breuiant, fabulas prolongant; ad exteriora proni, ad interiora pigri; ad cogitandum bona torpidi, ad pensandum mala procliui; ad edendum & bibendum alacres, ad ieiunandum tristes, ad increpandum faciles, ad sustinendum debiles; ad honores cupidi, ad humilia verecundi; ad rigorem disciplinæ auersi, & ad laxiora semper inclinati. Sed heu pie Deus, quòd filij huius sæculi prudentiores sunt & feruentiores in terrenis acquirendis, augmentandis, & conseruandis, quàm filij lucis & serui sanctæ crucis, pro virtutibus colligendis, & vitijs extirpandis. O vtinam omnes saperent & intelligerent, quàm delectabile est deuotis exercitijs intendere, scripturarum arcana perscrutari, verba Christi & opera meditari, sæpè legere, sæpè orare, lecta & audita masticare, beneficia Dei quotidie recollere, pro omnibus bonis datis & creatis, etiam pro minimis, Deo regratiari; ad meliora semper tendere, ad cælestia suspirare, & omnia terrena ex corde elongare. O quàm sanctum est, in cauta custodia cordis stare; euagationes per feruidas orationes & puras meditationes excludere, imaginationem mundi per imaginem crucifixi vincere, tentationes diaboli, cum sancta cruce, clauis & lancea repellere, motiones carnis, spinis & flagellis acutis extinguere, iniurias illatas patienti animo ferre, damna & vituperia pro lucro animæ reputare, & omnia grauamina præsentia pro amore Christi leuissima ponderare. Hæc enim & similia attentè cogitare, & niti exercere, est crucem tollere, & in cruce Christi, & non in carne gloriari. Ex dulci namque ligno crucis, dulcis odor cælestis gratiæ effluit, qui cuncta sæculi gaudia repellit,

pellit, carnis delectamenta extinguit, cordis elationem reprimie, internæ consolationis munera tristibus affert, iniuriam patientibus fortitudinem præbet, anxios animos varijs modis verbis Christi & exemplis quietat.

8. O religiose frater, quare contristaris & conquereris de grauitate crucis tuæ, in vigilijs longis, in ieiunijs multis, in labore & silentio, in obedientia & stricta disciplina, quæ pro profectu tuo & animæ salute, à sanctis patribus sunt Deo inspirante vtiliter instituta, quatenus per ista securè & prudenter incedas, qui teipsum bene & virtuosè regere nescis. Putas quòd tu sine cruce & dolore ad regnum cælorum intrabis præ omnibus sanctis: quod Christus non potuit nec voluit, nec aliquis ex charissimis amicis & sanctis eius impetrauit? Nam ipse dixit: *Oportebat pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Erras planè in existimatione tua: nec attendis vestigia Christi tibi ostensa, qui per crucè ex hoc mundo transiit ad Patrè suum cælestem. Interroga quèlibet de victoribus & cælestis regni ciuibus, quomodo venerit ad hanc gloriã Dei perpetuò possidendam. Nonne per crucem & pœnam? Eia dilecti fratres, tollite iugum Domini super vos, amantibus suaue & leue. Amplectimini desideranter crucè sanctam, omnibus virtutibus floridam, cælesti vnctione plenam: vt perducatur vos sine errore, cum spe gloriæ, in vitam æternam. Quid vultis amplius: Hęc est via, & nõ alia, via recta, via sancta, via perfecta, via Christi, via iustorum, via electorum saluandorum. Ambulate in ea, perseuerate in ea, sustinete in ea, viuite in ea, morimini in ea, expirete in ea.

9. Crux Christi vincit omnia diaboli machinamèta. Crux ad se trahit omnium fidelium corda: Crux delet omnia mala, & confortat nobis omnia bona, per Iesum Christum, qui pependit & mortuus est in ea. Nõ est aliqua armatura tam fortis, nec sagitta tam acuta & terribilis, contra diaboli potentiam & sæuitiam, quam sic timet, sicut signum sanctæ crucis, in qua filium Dei suspendi fecit & occidi, qui innocens fuit, & ab omni macula purus. O verè beata crux Christi, omni honore dignissima, omni amore amplexanda: amantibus leuis ad portandum onera, tristibus solatiofa ad sustinendum opprobria, pœnitentibus benigna ad dimittendum debita pro omni offensa. Hęc est sanctis Angelis valde honorabilis, hominibus multum amabilis, demonibus nimis terribilis, despecta superbis, accepta humilibus, aspera carnalibus, dulcis spiritualibus: insipida stultis, affectuosa deuotis: affabilis pauperibus, consocialis peregrinis: amicabilis afflictis, consolabilis infirmis, confortabilis morituris. Recondite ergo omnia sacra Iesu vulnera in secretario cordis vestri: quæ super omnia

Crucis
Christi
dignitas.

aromata sapiunt animæ deuotæ in mœrore existenti, nec solatium foris ab hominibus quærenti.

10. Pensate etiam dolores beatæ Virginis matris Iesu stantis iuxta crucem, quàm multas tunc lachrymas cum intima compassione effudit, cum multis feminis secum plorâtibus, vt & ipsa memor sit vestri in omnibus angustijs vestris. Sequimini Christum per passionem suam & crucem ducentem ad æternam requiem & lucem: Quia si modò estis socij tribulationis, eritis postmodum cum eo socij mensæ cælestis, & perpetuæ exultationis. Plantate in hortulo memoriæ vestræ arborem sanctæ crucis, contra omnes mortiferas diaboli suggestiones medicinam virtuosam proferentem.

Arboris
crucis
Christi
descriptio
elegantis-
sima.

11. Huius enim nobilissimæ & felicissimæ arboris radix est humilitas & paupertas: cortex, labor & pœnitentia: rami, misericordia & iustitia: folia, veritas & doctrina: flores, honestas & pudicitia: odor, sobrietas & abstinencia: pulchritudo, castitas & obedientia: splendor, fides recta & spes firma: fortitudo, magnanimitas & patientia; longitudo, longanimitas & perseuerantia; latitudo, benignitas & concordia; altitudo, charitas & sapientia; dulcedo, amor & latitia; fructus, salus & vitæ æterna. Bene ergo & dignè in sancta Ecclesia de sancta cruce cantatur: Quia nulla silua talem profert arborem, fronde, flore, germine plenâ. Sed nec in hortis Salomonis inuenitur species talis, nec herba tã valens pro medicamine omnis languoris, sicut arbor sanctæ crucis, proferens aromata diuinæ virtutis, ad reformationem humanæ salutis. Hæc est arbor fœcundissima, super omnes arbores paradisi benedicta: ramis pulcherrimis extensa, folijs virentibus ornata; fructibus vberibus per mundum dilatata; altitudine tangens cælos, profunditate penetrans inferos, latitudine ambiens montes & colles, magnitudine implens orbem terrarum, fortitudine vincens impios reges & fidei persecutores, pietate attrahens debiles, suauitate sanans peccatores. Hæc est vitis deifera, oliua fructifera, dulcis ficulnea; foris aspera, intus melliflua; in domo Dei plantata, in humilitate radicata, in patientia probata, in obedientia consummata, in charitate confirmata.

12. Hæc est palma præclara, dignè Christifera vocata; humero Iesu baiulata, in mote Caluariæ altè leuata, à Iudæis condemnata, à gentilibus deturpata, ab impijs exprobrata, à perfidis abnegata, à fidelibus lamentata, à pijs implorata, à deuotis multum amata, à religiosis summè venerata. Hæc Cōstantino imperatori cælitus est ostensa, à sancta Helena regina diligenter quæsitâ, & cum magno gaudio inuenta. Hæc ab eodem nobili christicola fuit amorosè amplexata, lachrymosâ facie irrigata, & labijs puris affe-

ris affectuosissimè osculata. Hæc iam, Deo mirabiliter disponēte, in multis locis signis emicat & virtutibus. Hæc à regibus & principibus mundi, ab omni clero & populo adoratur, quæritur, & honoratur; & pro omnibus plagis & contumelijs ab impijs sibi factis, à cunctis Christi fidelibus ampliori deuotione colitur & celebratur. Attamen ex occulto Dei consilio & prouidentia, hæc omnia pro salute mundi gesta sunt & ordinata. Hæc animam deuotam piæ confessionis affectu sæpè compūgit, sæpè lachrymare facit, cum crucifixi imaginem aspicit: sæpè cor amantis conuulnerat, cum Christum pro se vulneratum pensat. Beatus homo & fidelis seruus ille, qui sacra Iesu vulnera in corde suo iugiter portat; & quicquid aduersitatis sibi obuiat, de manu Dei hoc accipit, & piè sustinet, vt crucifixo, saltem in modico, conformis fiat. Dignus namque est à Christo visitari & cōsolari, qui se studet passioni eius, in vita & in morte, plenè conformare.

13. Hæc est via sanctæ crucis; hæc doctrina nostri saluatoris, hæc sapientia sanctorum; hæc regula monachorum: hæc vita bonorum: hæc lectio clericorum, hæc meditatio deuotorum, Christum humiliter imitari, pro Christo mala pati, pro dulcibus amara sumere, honores spernere, contemptum æquanimiter ferre. A delectationibus prauis abstinere, occasiones vitiorum fugere, dissolutiones vitare. Pro defectibus proprijs & alienis gemere, pro tribulatis & tentatis orare, pro benefactoribus gratias agere, pro aduersarijs, vt conuertantur, supplicare. Bene agentibus congaudere, iniuriam patientibus condolere, indigentibus subuenire; alta nō appetere, humilia eligere, simplicia diligere, superflua refecare, paucis contentari. Pro virtutibus laborare, contra vitia quotidie certare, carnem ieiunio domare, spiritum oratione & lectione roborare, humanam laudem refutare, solitudinem quærere, silentium amare, Deo vacare. Ad cælestia suspirare, omnia terrena ex corde vilipendere, nil præter Deum sibi solatiofum reputare. Iste potest cum beato Paulo Apostolo dicere: *Quia mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Et iterum: *Gloriari me oportet in cruce Domini mei Iesu Christi: per quem mundus iste mihi crucifixus est, & ego mundo.*

Via crucis
Christi
quæ.

Phil. 1.
Gal. 6.

14. O religiose monache, & sectator arctioris vitæ, noli ab assumpta cruce in ordine recedere: sed sustine & porta crucem vsque ad mortem, & inuenies æternam requiem, cælestem gloriam & honorem. Quando aliqua tribulatio tibi aduenit, tunc Christus cum cruce tibi obuiat, & iter ad cæleste regnum, quò pergere debeas, ostendit. Si quis autem gloriatur, & sperat in diuitijs & honoribus huius mundi, verè decipitur, & nihil ex omnibus secum portabit, quæ in mundo amare consuevit. Qui verò in cru-

Tribulatis
Christus
veit obuiam cum
cruce.

ce Christi gloriantur, & omnia propter Christū contemnit; hic interim à Christo in præsentī consolabitur, & in futuro cælestibus bonis replebitur, ac sine fine cum Christo & omnibus sãctis felicissimè gaudebit. Quæ nobis præstare dignetur Iesus Christus, pro nobis in cruce passus & mortuus: cui æterna laus & gloria, in secula seculorum. Amen.

Exemplum de sancta cruce.

Crucis signum quã sit efficax, probat exemplis.

15. **F**VIT apud nos laicus quidã Nicolaus Petri nominatus, ex partibus Hollãdiæ natus. Hic (Deo inspirante) cum esset carpentarius bonus, statuit in animo seculum relinquere, & monasterium nostrum intrare. Cum ergo solus esset in via, & monasterio appropinquaret; diabolo insidiantē & tentante, cœpit anxari & multum formidare, nesciens quid sibi obesset in bona via, sole adhuc clarè lucente. Stans ergo, & deliberans apud se quid ageret, cum nullum adesse cerneret, cœpit cogitare, quia fortè diabolus eum impedire vellet, ne vltterius ad monasterium procederet. Circumspiciens ergo huc illuc, vidit à longè quasi nigram nubeculam de terra ascendere, & paulatim in altum crescere, & quasi à vento agitãte moueri. Perterritus itaque valde, & coniecturans, quòd Satanas iter suum impedire niteretur, ne propositum suum impleret: statim eleuata manu sanctæ crucis signum fecit, & salutari signo frontem armauit; Sicquẽ abiecto timore & forti fide confortatus, frontem iterũ cruce signans viriliter processit. Quo factõ, diabolicum illud phantasma, virtutẽ sanctæ crucis ferre non valens, & quasi sagittam acutam cõtra se missam deuittans, à via declinauit, moxquẽ tanquam fumus euanesceus, ex toto disparuit. Tunc multum lætus effectus, monasterium nostrum, in honorem sanctæ Agnetis Virginis dedicatum, constanter intrauit; quod tunc temporis in magna paupertate inceptum, paucis cognitum fuit. Hic postmodum multis annis superuiuens, ad honorem sanctæ crucis omnibus feriis sextis ieiunauit, & etiam tempore mensis magnis laboribus fatigatus, nunquam sanctæ crucis ieiunium soluit; sed propositum suum, quod bene inceptit, constantissimè terminauit.

Aliud exemplum.

16. **F**VIT quãdam soror conuersa, Margarita nomine, Deo deuota, in ordine regularium sororum; quæ officio coquinæ deputata, tanquam fidelis Martha, Christo & sororibus humiliter seruire studuit, quamdiu potuit. Quadam igitur vice, posita erat patella olei super ignem, qui ardebat; ipsa verò operi intẽta, non longè distabat. Cumquẽ cerneret oleum nimis ebullire, & in altum spumas eius ascendere, timens illud effundi & igne cõsumi, citiùs ad focum cucurrit: Et factõ desuper sanctæ crucis signo,

gno, mox tumor spumæ ad ima cecidit, ac si aquam frigidam inieciſſet. Quod focia eius videne, mirata eſt, & alijs poſtea hoc factum reuelauit.

Exemplum aliud.

17. **M**VLIER quædam Campenſis ibat ad forū ciuitatis, vt ſibi & domesticis ſuis modicum lactis emeret. Emptione autem facta ad domum redire feſtinabat, tenēs in manu amphoram lactis, quam ſecum tulerat. In via ergo poſita cupiebat de lacte bibere, & inclinans ſe reſedit ſuper terram. Accepta itaque in manu amphora, fecit deſuper ſignum ſanctæ crucis, antequam biberet; ſtatimque amphora inferiùs crepuit, & lac in terram ruens, ybertim effluxit. Quo viſo, nimis exterrita ſurrexit, & perpendens, quid miri ſibi accidiſſet, præſenti ſigno virtutem ſanctæ crucis patenter agnouit. Quidam autem rem geſtam audientes, dixerunt: Fortè niſi hæc mulier, ſigno ſanctæ crucis ſe ſignafſet, diabolus cum lacte imbibifſet. Bonum eſt ergo cibum ac potum priùs ſigno ſanctæ crucis benedicere; ne aliquid nociuum homini ex vitio gulæ contingat, per quam diabolus multos ſapius tentat & captat.

Aliud exemplum.

18. **D**VO religioſi fratres, habita licentia, ibant pariter nõ longè extra monaſterij portam, poſt horam reuerſuri ad cellam deuotionis amicam. Dum ergo fabularentur ad inuicem, de diuerſis ſibi placitis hiſtorijs, interuenit etiã ex incuſtodia oris, ſermo detractiõnis de factis ſui Prioris, inſtigatiõne maligni ſpiritus. Tunc ecce ſubitò apparuit eis equus niger valde terribilis, cum impetu occurrens ambulantiſus, & quaſi volens inuadere fabulantes. At illi nimium perterriti, mox ſigno ſanctæ crucis ſe munientes, concito curſu ad monaſterij portam fugerunt; & ſic periculum ſæuiſſimi hoſtis, per ſanctæ crucis ſignum euafcerunt. Et dixerunt: Malè fecimus, otioſa & detractoria de alijs loquendo. Ideo accidit nobis tam enorme monſtrum, ad cauendum de cætero peſſimum detractiõnis vitium, omnibus abominandum.

Exemplum aliud.

19. **Q**UIDAM frater ex labore fatigatus, cum ſero facto ad dormiendum ſe diſponeret, neglexit ſolito more, ſigno ſanctæ crucis cõtra terrorè inimici ſe ſignare. Nã celeri oppreſſus ſõno, nõ eſt armatus ſalutiferæ crucis ſigno. Poſtea tã grauiter fuit perterritus in ſõno, ab antiquo humani generis inimico; ita quòd præ timore clamaret alta voce, & expergefactus tremeret cū ingēti ſtupore. Tũc demũ recordatus eſt, quod vespere præcedēti non ſatis cautè ſe ſignafſet, ſolito vexillo ſanctæ crucis; & id-

circo

circo hostis malignus fuit sibi in illa nocte tam seuerè molestus, Ad se ergo plene reuersus, inuocato salutari nomine Iesu, cruce se signauit, & suffragium sanctæ crucis deuotè legit; sicque iterū obdormiens, in pace Christi securè quieuit. Et ob huius rei factū per sanctæ crucis signum, sine cruce Christi nullum locum mundi ab hostis terrore putauit esse securum.

Aliud exemplum.

20. **V**IR quidam honestus vidit in somnis sibi a stare imaginē sanctæ crucis: quæ primò ante eū stetit & aspexit; postea verò retro post ipsum stans in dorso, detrusit & recessit. Super quo nimis perterritus & perplexus, cuidam deuoto presbytero, quod viderat, reuelauit. Qui visioem perpendens, nec incassam reputans, ait trepidanti: Fortè Dominus noster vult vos probare, & ad sustinendum aliquid oneris vobis imponere. Præparetis ergo dorsum vestrum, ad portandum piè cum eo crucem: quia flagellat omnem filium quem diligit. His dictis consolatus est homo, committens se Deo, qui nihil facit nisi pro bono. Nec diu post extitit, venit super eum tribulatio & despectio hominum, quam crux prius visa in somnis præfigurauit. Ipse verò diligèter præmonitus, ad patientiam se disposuit, & post dignam probationem, bono fine vitam terminauit.

Exemplum aliud.

21. **Q**UIDAM deuotus frater, præ cæteris sacris libris in passione Domini se exercere studuit, & imaginem sanctæ crucis in magna reuerentia habuit. Et vbicumque aliquam crucē vidit, humiliter inclinans libenter se cruce signauit, memor Dei sui pro se crucifixi, quem amare & honorare desiderauit. Quadā igitur nocte vidit in visione quandam imaginem sanctæ crucis, in pariete cuiusdam Ecclesiæ pendentem, multis vulneribus ac plagis acerrimè sauciata. Quam nimis dolenter aspiciens, flexis genibus & iunctis manibus, suppliciter adorauit. Statimque imago dextrum brachium suum de cruce ad eum extendit, & dexteram manum sibi porrexit. De quo cum multum de tãta dignatione miraretur, dictum est ei: Hoc pro honore, quem mihi in cruce exhibuisti. Exinde cœpit maior deuotio in corde eius erga imaginem sanctæ crucis excrefcere, & dulcius ei fiebat, de passione Domini quotidie meditari, legere, & orare.

Oratio de laude sanctæ crucis.

22. **O** Dulcissima & amãtissima crux Domini mei Iesu Christi, foris nimis tristis & amara, sed intus diuina dulcedine plena. O arbor decora & fulgida, mēbris Christi tanquã preciosis margaritis ornata. O vitis fecūda, duris clauis perforata. O oliua speciosa, sāguine Christi colorata, aqua lateris eius sāctificata.

ficata. O lignum vitæ, portās Regem gloriæ, pro mundi salute. O crux scutum inexpugnabile, vexillum Regis incomparabile, signum salutis admirabile, in titulo capitis habens scriptum tale: *Iesus Nazarenus Rex Iudaorum*. Salve Iesu Nazarene, laus Ange- Ioan. 19. lorum, vita beatorum, venia peccatorum, salus omnium populorum. O crux salutifera, ab æterno præuisa & electa; tu omnium virtutum floribus adornaris, dignè adoraris: miraculis coruscas, fructibus æternæ salutis exuberans, super omnia aromata redoles; morbos corporis & animæ sanas, iustis cælum aperis, peccatoribus veniam præbes, diabolum fugas, infernum frangis, captiuos liberas, redemptos beatificas. O crux arbor speciosissima, super omnia ligna siluarum benedicta: Tu cedro altior, palma latior, cypresso odoratior, balsamo nobilior, vitæ fecundior, oliua pinguior, ficu dulcior, buxo viridior, quercu fortior, rosa pulchrior, lilijs cædidior. O crux spléndidissima, sole excelsior, stellis clarior, luna lucidior, gemmis micantior, lapidibus preciosior, auro dignior, argento melior, nardo efficacior, cunctis aromatibus & medicinis salubrior. O crux valde amabilis, summè venerabilis, esto mihi peccatori propitia & placabilis, dux bonæ vitæ, lux rectæ viæ: protectrix ab hoste, liberatrix in tremendo iudicio, & pia susceptrix in regno superno. Assiste mihi in agone, conforta in fide, spem veniæ tribue, charitatem cordi infunde, & cum felici fine ex hoc mundo migrare concede: Vt per te me recipiat, qui in te pependit, & me redemit, Iesus Christus Dominus noster: Qui cum patre, &c. Laudat mundus amatores suos, milites fortes & barones, qui pro patria & ciuibus suis bellauerunt, & periculis multis ac morti viriliter se exposuerunt: & commune bonum omnibus priuatis & proprijs pratulerunt. Quanto magis Christus laudandus est & amandus, qui pro omnibus nobis crucifixus est & mortuus: vt in æternum viueremus, & cum eo in cælis regnaremus. Amen.

S E R M O X X I.

De ueneratione & commemoratione beatae Mariæ Virginis.

X. STABAT *iuxta crucem Iesu, mater eius.* Dilecti fratres, dignū Ioan. 19. est & consequens, vt post memoriam sanctæ crucis, habeatur etiã specialis memoria doloris beatissimæ semper Virginis Dei genitricis Mariæ: quæ astitit fideliter dilecto filio suo Iesu pēdēti in cruce, atque pro totius mūdi salute morienti. O flebile spectaculum matris & filij crucifixi: matris lachrymantis, & filij condolentis; matris deficientis, & filij alloquētis; matris sub cruce stantis, & filij in cruce pendentis; matris suspirantis, & filij expirantis. O immensi doloris magnitudo nunquam obliuiscenda, scd